





21.  
33.

DISSERTATIONE  
Theologico-Literaria

# MOSEN

*Qua enutritum omni Ægyptiorum sapientia, non cœ-  
cum esse eorundem in cultu V.T. ceremoniali  
imitatorem, sed*

## REGNI ÆGYPTIACI CANDIDATUM

Ad Acto. VII., 22.

PRÆSIDE

VIRO CELEBERRIMO

D. HENRICO JACOBO van BASHUYSEN,

S. S. THEOLOG. D. ejusque ut & LING. ORIENT. & HISTORIARUM PROF. PUBL.  
SCHOLÆ JOHANNEÆ INSPECTORÆ, atque SOCIETATUM, REGIÆ AN-

GICANÆ DE PROPAGANDO INTER GENTES EVANGELIO,

& REGIÆ BEROLINENSIS SCIENTIARUM. SOCIO,

GYMNASII ACADEMICI ANHALTINI RECTORE

MAGNIFICO

Nova via ex Contextu & Antiquitate  
publice ab hora VIII. mat. ad XI. die 5. Novembr. 1718.

edifferet

Usum simul Bibliothecæ Gymnasii Illustr. demonstrans  
Christianus Fridericus Heusling, Hanov-Windecc.

S. M. Candidatus. Autor.

SERVESTÆ, Typis JOH. FRID. ERNESTI, Illustr. Gymnas. Acad. Anhalt. Typogr.



VIRO  
ILLUSTRI & EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
FRIDERICO AMA-  
DEO DE RAUMER,  
Totius Serenissimæ Domus ANHALTINÆ  
Consiliario Status intimo meritissimo  
VENERABILI,  
ILLUSTRIS RAUMERIANÆ  
FAMILIÆ SENIORI  
*Omnium honorum magno Promotori*  
AcademicihujusGymnasii munificentissimo fautori  
meorumque studiorum ad hoc usque tempus  
approbatori &  
PATRONO summo honoris cultu  
prosequendo

Pacem in Christo & vitam longam!

# *Vir illustris!*

Prodeo iterum post moram aliquam, undecima vice, intra septennium ex quo Hic & Hanoviæ lectiones publicas frequentavi, in scenam eruditorum. Merces vero me asteria vice, publice expono, quas licet exiguae, ante pedes Tuos deferro. Diu enim multumque desideravi, venerationem erga tantum literatorum Mæcenatem, meam, aliquo saltem modo testatam facere. Et ecce subnata est occasio: Qua scilicet ex debito gratias solennes agere teneor, quod Viro Excellentissimo, non ita pridem, me juvenem adhuc, modo namque d. XXV. Nov. annum at. XXII. emerio, Bibliothecæ Gymnasii Illustris, quam ex singulari erga Musas Anhaltinas munificentia, hic fundavit, præciceret, & sic navatam hactenus industriam non parum approbare placuerit. Quantum enim beneficii, ex hoc, quem multi quidem, quod ipse fatetur Hottingerus, in libro egregio, quem vocavit Bibliothecarium quadripartitum, varias ob rationes, ibidem Bibl. Univ. c. VII. p. 117. legendas, subterfugiunt & plane negligunt, labore, ad me redundas, redundant autem proximum, tantum profecto officii, mihi gratitudo non absre iniungere videtur.

Præterea cum Virtus nunquam emori, nec splendor illius ullo pacto obscurari possit, verum semper post Catones surgant Marcelli, nihil magis aequum est, quam ut Marones, Mæcenatum memorias, non æri aut lapidibus, utpote quos vetustas tandem exedit, sed potius animis posteriorum inscribant, hocque modo ipsi eternitati conseruent.

Veneribus in more erat possum, ut præclara illustrium virorum facinora resque gestas decantarent, quo eorum imitacione ceteri mortales ad virtutem incitarentur. Horum ego, si flores Ciceronis, suada Demosthenis, Maronis vena & ju-

*flus Rhetorum Poëtarumque apparatus, mihi esset, in de-  
predicandis laudibus Illustris & inde a Reformatione, id  
quod Epistole Virorum doctorum, Camerarii aliorumque, ab-  
unde docent, Celeberrimae RAUMERORUM familie, imprimitis  
Venerabilis jam Senioris, & qui paribus ipsum passibus sequi-  
tur, magni Prussiae Regis juxta & Serenissimi Anhaltini  
Principis, Dn. LEOPOLDI, gloria qui Martis est, concilii san-  
ctoris & aule Consiliarii, Generosi & Illustris Domini JOH.  
GEORGII de RAUMER, vestigia legerem. Sed cum verba  
quibus dignum in modum me exprimam, deficient, ne rudit pen-  
cillus, in delineandi hujuscemodi preclaris Virtutum exempla-  
ribus, vel aliquid peccet, hoc unicum subjungo:*

**HOS MUSA VETAT MORI!**

*Et ita spero non indignaberis, Vir Illustris, quod cum munusculo  
hoc literario in conspectum Tuum processerim. Saltim enim  
gratus pro praesito insigni Beneficio, animus erat offendendus,  
& venerationis perennatur & tabula suspendenda. Nec fors  
meletemata haec, utpote multam partem sacra, in totum disipli-  
cebunt, quod sciam, Te Virum Illustrem, sacris istiusmodi me-  
ditationibus, ut & profectibus ad veram sapientiam strenue  
contendentium, quam maxime deliciar. Sic Vale Vir Illu-  
stris, & hanc meam audaciam in optimam partem interpre-  
tare. Scripti Servestæ ex Illustri Gynnaſio a. d. XVIII. Nov.  
M DCC XVIII.*

**ILLUSTRIS TUI NOMINIS**

*Observantissimus Cliens  
Christ. Frider. Heusling.*

## Argumentum Dissertationis

§. I.

**O**ccasio scriptoris, s. 2. præcognita præmittuntur, quousque se notitia Numinis per rationem extendat ex Rom. II, 4. s. 3. Ostenditur toleraniam divinam, gentes ad resipiscientiam ducere voltisse §. 4. Nec tamen Gentes paruisse, hinc *Atheismus & superstitionis* §. 5. *Natalis Comitis de Ægyptiorum religione sententia* proponitur §. 6. Eos veram religionem & quidem *primos* habuisse, contra ipsum negatur. §. 7. Ex hebrei familia posteros, *primos* veram habuisse religionem probatur, & ab his Ægyptios §. 8. Quæstio proponitur, an non autem Hebræi, postmodum, ab Ægyptiis cultum suum sub V. T. mutuaverint? in specie ex loco Act. VII, 22. s. 9. periculum affirmativa ostenditur, §. 10. affirmativa refutatur, & ostenditur Cultum ceremonialē præfigurasse Christum §. 11. E. nequaquam ab Ægyptiis potest venisse, cum Ægyptii per rationem mysterium Christi scrutari nequiverint, ut quod sola supernaturalis revelatio patit. §. 12. Ægyptii præterea erant Idololatræ §. 13. Adhac cultus Ceremonialis & idololatricus caute distinguuatur, maxime in Cap. Act. VII. §. 14.

A 3

Judæi

Judæi etiam quam severissime culpantur & puniuntur , si quando Ægyptios fecuti sunt §. 15. E. Deus non debet fingi , politicum simulasse & cultum quendam idolol. populo suo indulisse . E. Moses non idololatriæ præco , sed V. foederis ex Dei instituto ~~meritorius~~ . §. 16. Obi. Moses tamen dicitur enutritus omni Ægyptiorum sapientia . §. 17. Sed Ægyptii ignorabant , veram sapientiam . §. 18. E. Ægyptiorum sapientia non ultra , quam Usus HUJUS vitæ requirit , ascendere valuit §. 19. Et talem fuisse , ex antiquitate docetur §. 20. Ille vero sapientia juxta scripturas est sapientia seculi , qua gentes facta sunt stultæ , non per sapientiam ipsam , sed quod se sapientes falso existimaverint . Et sic ipsi Ægyptii stulti sunt facti . §. 21. E. Ægyptii , Mosen præceptis veræ sapientiæ instruere non potuerunt §. 22. E. suam sapientiam ipsum docuerunt §. 23. E. Moses qua doctus sapientiam Ægyptiorum est REGNI ÆGYPTIACI CANDIDATUS §. 24. Et cum hoc scopus Stephani conciliatur §. 25. & inde scopus dissert. magis adhuc exponitur & confirmatur §. 26. Toti dissert. finis cum voto imponitur .

**Q**uod vetus poëta *Aeschylus* olim in ore habuit  
 Οταν σπεῦδη τις ἀτε, χ'ω θεος συνεπτεῖται  
*Ubi vigiles ipse, dii quoque admovent manum:*  
 id si hac vice mihi quoque applicem, nihil quic-  
 quam insolens fecero. Etenim norunt, qui me  
 norunt, quamdiu hic moratus sum, plus me olei quam vini  
 insunfisse, diu etiam multumque nonnunquam vigilias duxis-  
 se, nec quicquam omisisti, quod jure à me desiderari potuisti;  
 idque etiam aliquo cum respectu ad laboris tandem præmium,  
 quod juste boni expetere possunt. Quum vero tempore  
 quodam, à severioribus quæ vocant studiis, animum remitte-  
 rem, & in elegantiora, quod multo mihi frequentissimum  
 erit, tanquam hortum, mira varietate amoenissimum exspatia-  
 rer, in curiosam pariter atque difficilem incidi materiam, de  
*Enthusiasmo poëticō;* Abripior ita è vestigio, ut mox lineas de  
 ea quasdam ducere quasi debuerim. Quic inter expoliendum,  
 quod horis subcisis visiebat, in tantam excreverunt molem, ut  
 Dū videantur ipsimet, sit venia lufui, manum admovisisti.

Inter alia autem investiganda erat, veterum poësis mythica,  
 quam omnem ex symbolica Aegyptiorum sapientia, juxta cum  
 aliis, licet non ignorema, quosdam hic dissentire, derivavi mo-  
 numenta, harac præcipue ob causam, mythicam poëtan inven-  
 tam fuisse, quo, minus periti, continuo sibi à Diis revera ficti-  
 tiis, timerent. Quis enim, qui primus mysteria Deorum inter  
 gentes, audit, non obstupesceret? Imo quis non iratos placare  
 studeret? Hæc scil. fraus erat hominum, sacra tam peculanter  
 tractantium, aliis persuadere, quod ipsi non credebant; tantum  
 enim abest, ut crediderint, ut potius stultitiam magis suam &  
 fraudes

fraudes, an hominum credulitatem ridere debuerint \* dum interim se suosque vel philosophica vel historica erudirent.

Suboriebatur quæstio, *Num ergo non omnis Religio ab Egyptiis ad alias gentes transferit?* Et inde hoc quicquid est differentiationis, enatum est. De quo instituto impræsentiarum, ne justo sim prolixior, pluribus dicere supersedeo. Specimen saltem mei laboris exhibere volui, visurus, quid ante adhuc elegantiæ ipsi addere possim, quam publicæ luci totum committam. Materia ipsa quoque digna est, qua expendatur, quamvis me longe doctiorem, qui digne excutere eam possit, requirat. Tentabo tamen, & experiar, *An quod vult Natalis Comes quem, Mauritius Illustris Hassæ Landgr. in rara Eruditionis Tractatu raro admodum & hodie rarissimo exemplo, (nisi huic accèdere velis Augustissimum Imperat. Leopoldum cuius ad Viros Celle-*

*berr.*

---

\* Referri hoc posset, quod habet Cicero L. 2. de divinatione, quando de *Tage* puer, haruspincæ autore, in agro Tarquinensi effosso, ipsi sermo est: *Eftne quisquam, inquit, ita desipiens, qui credat exaratum esse, Deum dicam an hominem?* Si DEUM, cur se contra naturam in terram abdidet, ut patefactus aratro lucem aspicere? quid? idem non poterat Deus hominibus disciplinam superiore ex loco tradere? si autem HOMO ille *TAGES* fuit, quoniam modo potuit terra oppressus vivere? Verum cum probare debeamus ipsos sacerdotes, qui tamen antea hominibus superstitiones suas persuadebant, quod non faciebat Cicero, credulitatem populi risisse: magis ad rhombum facere videtur *Cato* qui scite admodum audaciam & in fingendo petulantiam, istorum superstitionis fatellitum perstrinxit, quum mirari se ait, *quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset vid.* Rappoltus in Comment. ad Horat. C. XXII. p. 128.

berr, *Lambecium & Nesselium*, Bibl. Vindob. Inspectores, literæ, latino quidem idiomate etiamnum extant) in Bibliotheca Gymnasii hujus illustris tanquam Cimelium assertur, de poëtica methodice conformata, Cassellis 1598. in 8.  
L. II. c. 23. poëtis, ob elegatissimas expositiones Mythicas, diligenter legendum propinat, quique mihi primam ideo, inter legendum, hac de re scribendianam dedit, aliique post ipsum, *Egyptii primisini, qui religionem, superstitionem rectius dixeris, ad gentes reliquas propagaverint?* Deus adsit conatibus!

*S. 2.* Ut vero ab ovo, quod ajunt, rem paulo repetamus, notum suppono, quod, quandoquidem de numinis aliquius existentia, idea, uniuscujusque menti impressa sit, gentes sibi relata, ad magnam etiam, Dei notitiam, pervenire potuerint; Usque adeo, ut *Paulus Rom II, 4.* ad ipsas de Evangelii necessitate convincendas, expresse statuat, *quod benignitate tolerantia, ac ira divini numinis cohibita, ad resipiscientiam quotidie ducta sunt.*

*S. 3.* Nimurum, quoniam se creaturas esse, qua creatorum necessario supponunt, cognoscabant, hunc vero creatorem sibi non aliter, ac potentissimum, juxta & justissimum sanctissimumque, ob oculos mentis ponere poterant; Se vero, non ad normam justitiae & sanctitatis, adeoque non in honorem tanti numinis vivere pernoverant, nullam tamen viam operationis reperiebant, qua in communionem cum tanto nomine denovo venire possint; interim tamen Deum iram cohibere, & tolerantia ipsos ferre, experientia, singulis momentis discere poterant; ad resipiscientiam quotidie, imo singulis momentis, modo attendissent, ducebantur, h.e. eo adigebantur, ut alias revelationem, quæ per rationem possibilis fit, quererent, cuius beneficio, vera ad resipiscientiam via, ipsis pateret.

*S. 4.* Ast Eheu! ex illa divini numinis tolerantia, non pauci, ubi sunt facti, sibi persuadentes, plane nullum esse De-

um, cum sit existeret, sine dubio peccatores statim punirent.  
Ab altera vero parte, *superfluo*, ex hac ipsa tolerantia, mirum  
quantum crevise videtur.

Etenim, illud *yποστει τη θεω Rom. I, 19.* Ethnicios, facis  
de numinis existentia convincebat; sed vero, quale sit, cum  
multa ex parte, præsertim quod in Christo sit reconciliabile,  
ut pote quo ratio penetrare non datur, unde *Pau. Eph II, n. 12.*  
*Gentes αγετοι εν κορυφαις* t. e. sine Deo in Christo reconciliati,  
dicuntur, ignorarent. Hac in sua de Deo notitia, foliati loco  
merum incutiebat timorem. Præsertim, cum se miseros in-  
telligerent, quippe qui meliora noverint, nec tamen minus de-  
teriora sequantur, hincque existumarent, Deum maxima cum  
iracundia iniurias ulturum, ipsosque adeo supplicio immensi  
cruciatus damnaturum. Quapropter, cum religiosiores de  
cuso quodam publico cogitare ccepissent, nihilominus tamen  
incerti adhuc essent, cui præcise honor ille deferendus sit, par-  
tim sibi quendam ignotum coluerint, partim ab aliis cultum  
inter suos adoptarunt; cumque porr̄ se *tolerantia* divina ferri  
adverterent, concidebant, Deo cultum suum non ingratum es-  
se, siveque superfluentem superstitionibus etiulabante. Cultus  
hancque, qui Deo extra Christum exhibetur, est superfluitas,  
quiscunque demum ille sit.

S. 5. Et hactenus bene **NATALIS COMES** Myhol.  
**L.** 1. c. VII. cui vero quid hic addiderimus, quomodo eum  
dein illustraveramus, conferene purumque, non erit, obscurum,  
saltim enim cum veritatis confirmanda, non inventiende  
ergo adhibuimus. Male vero in eo, quod addat, omnium  
prope Religionum Originem, ab *Egyptis* in *Græciam*,  
& in *Peras*, dein ad alias Gentes manasse, quia *Perse*  
fus Magos, *Affyrri Chaldeos*, *Egypti* vero suos habuerint  
Pro-

*Prophetas*\* in Quasi diceret, *Egyptios Prophetas veram do-*  
*cuitis religionem;* Imo quod mireris, ecenter, omnes illos uno  
*ordine falli, qui statuant ante Egyptios, primos omnium*  
*mortalium Hebreos; non solum religionem, sed etiam verum*  
*Deiculum accepisse, & non humanis consulis, sed divinis pre-*  
*ceptis ad veram religionem institutos fuisse.*

§. 6. Sed pace viri hujus docti, dixerim, quod hoc  
pronuntiatione & alios fallat, imo quod sibi ipsi contradicat.  
Statuit enim & rede, quod nulla gens extiterit, addo praeter u-  
nicatum, quod Deos coluerit, nisi ab aliis acceptos. Ergo & *Egy-*  
*ptii* ab aliis acceptos coluerunt Deos. Imo estq; primi fue-  
runt idolorum cultores, & ab his aliae gentes, hanc suam didice-  
runt idolatriam. Sed hoc nemo inficias ibit, quod Dei cul-  
tum externum ab *Heberi* familia didicerint, licet ipsi postea,  
modum cultus divini, in idolorum cultum, primi converterint.

§. 7. *Judei* enim, ut *Cornel Tacitus*, infernissimi alio-  
quin *Judaeorum* hostis L. V. Hist. c.; §. 8 coll. Hist. L. II. c. 78.  
§. 4 memoriae prodidit: *Unum numen. ANTIQUITUS colu-*  
*re, profanosque esse putarunt eos, qui Deorum imagines morta-*  
*libus materiis, in species hominum effinguerent, summum illud &*  
*eternum neque mutabile neque interitum.* En Testimoni-  
um, multo præstantissimum: NB. *Tacitus* dicit *ANTIQUI-*  
*TUS* h.e. ab Antiquis inde temporibus. Unde enim *Judei*

\* Autor *Natalis Comes* videtur confundere, que maxime sunt  
distinguenda: Similimodo atque dicit *Cansinus* ad *Hora-*  
*poll. Hierogl.* L. I. 37. in notis, Ex eo Clementis loco (NB.  
locum infra §. 19. exhibemus) facile confutes eos, qui ex-  
stimatorunt omnes *Egyptiorum* sacerdotes communi no-  
minis vocari *Prophetas*; quod sensisse videtur. *Diogenes*  
*Laëntius*, cuius Autoritate adductus *Criticorum* aliquis,  
contra antiquum peccavit,

veram religionem didicent? An non à majoribus 12. patriarchis ( probe hic attendas velim Lector, nec existimes me scripturis contradicere, nam, quam Israëlite post egressum ex Aegypto, acceperunt religionem, non est religio stricte dicenda, verum religiosi cultus externa tantum modificatio, quæ tribus vicibus, pro ratione œconomiarium, alia est, alias enim religio semper maneret eadem, cum verus Deus qui per religionem colitur, maneat semper idem.) Unde vero illi? Nonne à patre Jacobo? hic vero ab Abraham, & ille à Deo ipso. Annon hujus rei Gen. 12. seqq. testimonia adsum bene multa? Cur, non E. *Hebrei* divinitus præcepit, ad veram religionem instituti fuissent? Sin vero hoc, & Abraham, quod scripture testatur, inter Aegyptios vixit, nonne illi ab Abraham cultum divinum didicerint?

Sed forsitan, quod finxit Marshamus, saltēm hic falsa pro veris supponit, Aegyptii jam tum numerarunt XXX. Dynastias continentis immensum tempus 3625. annorum, vid. Dissert. Cl. D. van Bashuyzen de fictis IV. Monarchiis §. 5. p. 7. E. citra controversiam, Aegyptii primi, cultum religiosum ad alias Gentes, utpote antiquissimi transtulerunt. Argumentum, quod vel recensuisse est refutasse. Injurius sane est, in Deum & S. S., qui serio statuat, Aegyptios adeo anticos fuisse jam tum, quando mundus ipse, nondum per bis mille annos stetisset; qui porro serio dicat Aegyptios primos fuisse, à quibus populus & familia Dei religionem & cultum religiosum didicerit. Cum necessario idolatria tempore prior debuisse fuisse, quam verus Dei cultus, quod impium. Aut enim Deus non est Deus, & scripture non est verbum ipsius, aut verus Dei cultus, antiquior debuit fuisse, ipsa idolatria. Q. E. D.

§. 8. Probavitimus hactenus, Aegyptios non fuisse primos, qui religionem ad alios populos propagarunt. Ast

gravius

gravius quid restat, & cardo rei: Annon sc. Israélite post egressum ex Aegypto, in cultu suo, Aegyptios imitati sunt? & annon Deus, politicorum in morem, Israélitis, ut eo melius sub obsequio detineri potuerint, cultum illum, licet pravus fuerit, & Deum indecens, indulserit? Adhac annon ex Act. VII, 22. probari possit, Mosen ipsum, Autorem extitisse Israélitis, ut Aegyptios in ceremoniis religiosis emularentur, quippe qui omnigena Aegyptiorum sapientia enutritus fuerit?

§. 9. Qui affirmativam hic tuentur, toti profecto religioni, ruinam minari videntur, ut merito dicere possis: Anguem hic latere sub herba. Et hoc maxime Theologi subodorati sunt, hinc quam plurimos recensere possem, qui his se conatibus opposuerunt strenue. Nec hoc latuit grande illud Theologorum decus Cel. Roëllium, cuius memoria, etiam post funera, proh! dolorem! quod tanto viro carere debeat Ecclesia, est & erit in benedictione, hinc audias eum, in oratione sua de Theol. Supernaturalis præstantia §. 40. in hæc verba erumpentem: *Sunt in scripturam & scripturæ Autorem injurii, qui mysterium Christi, vel ignorantes, vel malevoli & fraudulenter occupantes, in ritibus Judaicis, nullam agnoscunt πνευματικην δηλωσιν & legum Mosaicarum, non nisi frigidas & frivolas plane causas reddentes, tantum non tam Religionem Judaicam ridiculam & ludicram faciunt.* Scilicet primus erroris foia est superbia, quod tales, propriam justitiam ex operibus legis erigere gestiant, quales post Judæos recentiores, omnes sunt Pelagiani, Sociniani & plures, quos quo tandem insignas titulo perinde est. Hinc nihil de Christi Satisfactione, aequo de justitia aliena, audire volunt, fingentes Christum tantum esse prophetam, sacerdotem, enim eum esse plane negant, mortem eum subiisse cruentam, saltem ut exemplo imitationis anteiret.

Atque adeo necessitate coacti typos V. T. ex gr. in Sacrificiis expiatoriis &c. negare debent, & ut hæc ipsorum negotio aliquam veritatis habeat speciem, fingere tenentur; ex deinceps totum cultum V. T. ceremoniale, nil nisi emul-  
lationem fuisse Ægyptiorum. Quod ut probent maximam adhibent quidem sed solum contra veritatem operam, præju-  
dicisque occurrati, veritatem vel non vident, vel videre no-  
lunt, imo nodos in scripo querunt, & statim cum suis lepi-  
dis inventis, victoriam ante triumphum ebucciant. Pudeat ipsos, quod Maimonidem, acerrimum cum suis Christi oso-  
rem, quem tamen quantis non cum elogis pro sua sententia allegant, Spencero non excepto, qui maxime gloriatur, quod tantum autorem à suis partibus habeat, infelices sequantur.

§. 10. Momentosam E. Quæstionem, ut maxime pro-  
fecto mirari subeat, affirmativam tuentes, tam securi his in  
utramque quod ajunt aurem dormire, & nescio quibus ra-  
tiunculis motos, statim quasi ex tripoде sentientiam prouun-  
tiare, licet, ut ad oculum posse patet, necessariam huic  
rei operam & industriam, parum hayaverint. Etenim non  
argumenta solum contra veritatem corradere, sed & quæ pro  
veritate afferuntur, quam fieri potest accuratissime pensare  
deberent, quod vero non faciunt. Veritatem ergo seque  
ipsos non amarunt quicunque hoc statuerunt. Si enim us  
exactissime de his genere hominibus & vere, acutissimus  
Sam. Werenfelsius in auræ a quovis cum attentione legenda  
dissent, de securitate carnali §. XXI. judicat, serio VERITATI  
EM, si se ipsos AMALGENT, si denique sane mentis essent,  
propter nescio quos scrupulos, veritatem adeo cælestem non sag-  
iūm dubiam & incertam esse prouinciarent: Sed quo res est  
majoris momenti, eo plus temporis sibi sumerent, & plus dilan-  
gentiae ac solicitudinis adhiberent, ad eam ITERUM ITA-  
RUM.

RUMQUE expendendam. In tali namque questione deci-  
denda, in primis CONTRA veritatem, nemo nimis cautus &  
circumspectus esse potest. Et si turpe & stolidum est, in qualis-  
bet re gravi, praecepis nimis & temerarium judicium, in ne-  
gocio tanti momenti, quid esset, nisi insanus?

Qui vel obiter scripturas inspexit, ei sane obscurum  
esse nequit, V. Test. præfigurasse Christum. Notentur  
modo loca multo clarissima Hebr. XI. 1. *Les umbras obtine-  
bat futurorum BONORUM, non ipsam expressam formam re-  
rum & Rom. X. 4. Christus legis est finis quoemunque modo  
vocabulum illud FINIS explices & Joh. I. 17. in Christo veri-  
tas: exanimentur ea ad obtrusam Analogia scripturarum:  
instituatur parallelismus typum inter & Antitypum: & ap-  
parebit, quod qui hic ex scriptura sapient, optime sapient.  
Et hanc veritatem Discipuli Venerabilis Cocceji, præeunte  
Præceptoré juxta & Ialii, in scriptis suis ævum latris, ad  
conscientiam prolixissime probarunt, ut adeo multi, in ea  
denou asserenda, esse non debeamus, ni post Homerum Ilia-  
da canere velimus.*

S. II. Si vero Cultus ceremonialis expressam Christi  
imaginem habuit, nequaquam ab Ægyptis potest venisse.  
Sola enim supernaturalis revelatio Christum propernit, ergo  
ad hoc mysterium ratio non valet assurgere, quod infra S. 17.  
probamus. Ergo nec Ægypti, utpote quibus non contigit  
adeo esse felicibus, ut supernaturali revelatione fruerentur,  
ad hoc mysterium ascendere potuerunt.

S. 12. Si præterea, Ægyptii Idololatæ fuerunt, ab  
iis cultus Ceremonialis utpote verus, quia per & propter  
Christum institutus, derivari haud ponit.

Ut enim petulantiam Ægyptiorum detestandam, in  
cultu Molochi, mysteriis Bacchi, Dionysij & Veneris & que ab  
his mutata, Atheniensium Phallus non memorem, ex qui-  
bus

bus tamen idolatria, quam maxime constat, saltem ex Græcorum cultu idololatrico ad Ægyptiorum absurditatem argumentabor.

Græci ab Ægyptis cultum suum acceperunt, quod non unavice innuit Clemens Alex. in primis Stromatum L. VI. Quando eos mox fures Ægyptiorum mox scripturæ appellat; Hi vero, ab antiquis temporibus sibi finixerunt Deos, alios cœlestes, alios terrestres, alios aquaticos: & aquariorum alii maris, alii fluviorum, alii fontium cura fuit commissa: è terrestribus rursus, alios montium, alios silvarum, pastorum agricolarumque præfides alios, atque hos in planis locis habitare putabant: Cœlestium alii summæ rerum humanarum præerant, alii consultores modo existebant, alii tempestates, certasque cœli regiones moderabantur, alii loca inferna habitare, & sceleratis supplicia dictare existimabantur. Qualis vero iste fons, ex quo hæc turbida profluxerunt?

Clarius rem si velimus, inspiciamus modo licebit Herodotum in Euterpe, & ex eo Natal. Com. Mythol. L. I. c. 7. quum scribit: *Duodecim Deorum nomina primos Ægyptios existimasse, atque Græcos ab illis capisse, eosque primos, aras & imagines & templo diis sibi erexitse.*

Sed primi, inquies, fuerunt, qui aras erexerunt? imo dico, primi fuerunt, qui aras duodecim diis erexere: At unus tantum est Deus, isque ad gratiam trium se manifestavit; Primi quod concedo, nomina Diis imposuerunt, hinc idem Herodotus. ibid. *Nisi profecto Neptuni & Dioſcurorum & Junonis, & Nereidum, & aliorum Deorum nomina semper sunt in Ægyptiorum regione.* Et illi sunt, qui Monstra quoque & animalia, partim hominibus infensa, partim utilia, ut canes, boves, anguillas, Herodoto teste coluerunt. Ita enim existimarent inquit, è pescibus Squamofum saerum esse,

& anguillam & ex Avibus Vulpanserem. \* Est item alia avis  
sacra, cui nomen est Phœnix. Quid si ergo dicamus, primi fue-  
runt, unde quicquid malum, quicquid scedē idololatriæ, si quando  
à vero, ipsis à Deo præcepto culta, deviarunt, habuerunt Israëlitæ.

\* *Vulpanser* est de anserium genere, vocatur autem ita, quod  
in *Anserina* specie *Vulpis* habeat calliditatem, pullos suos  
inquit *Ælianuſ* amat impensis, eandemque operam  
quam perdiſ in iis tuendis ponit. Nam venatorem fese  
ingerendo eludit, donec tenelli dilabantur. Hæc *Cauſſi-*  
*nus* in Horapoll. Hier. Lib. I. Ceterum, ad supersticio-  
nem usque circa hæc sacra animalia versabantur: Tanta  
enim superstitione inquit *Cauſſinus* in notis ad L. I. Hier.  
37. *Horap.* sacra animalia funerant, ut curatorem funeris  
unius animalis, totas facultates suas satis luculentas impen-  
dit, & insuper 50. talenta à Ptolomeo fœnerotum memo-  
ret *Diodorus*. Quid? quod Sacrificulos quosdam aluerint,  
eraquisas & ragaxiatoras dictos, proximos post Hiero-  
grammatess, qui cadavera *sacerorum animalium* curabant.  
Notat de eadem Θηρολατεῖα Cel. Reimannus in An-  
tiqu. literariis Ægypt. § 28. p. 59. ex Diodoro Siculo L. I.  
Bibl. Hist. *Sacerdotes* Ægyptiorum arcanam opinionem  
habuisse, in fabulis autem esse, Deos in animalia se trans-  
formasse ut crudelitatem & vim terrigenarum hominum  
effugerint. Quid si dicamus hoc ipsum egregium esse  
symbolum Ecclesiæ idololatricæ, Ægyptique Mysticæ,  
quæ colit Θηρια Bestiam Apoc XIII & XVII. à quo  
distinguntur *ζωa animalia viva*, fideles per Spiritum  
Sanctum vivificati. *Reformatores* pii nosque cum ipsis  
egressi sumus ex mystica illa Ægypto propter Idololatri-  
am; Sic & Israëlitæ propter idololatriam ex Ægypto lite-  
rali egredi verumque Deum secuti sunt.

§. 13. Adhæc Cultus ceremonialis V. T. & idololatricus  
caute in scripturis distinguntur, etiam in Cap. nostro *Ad. VII.*  
Huc faciunt versus 38-46. Nonne enim ibi promulgatio  
fœderis V. vivis eloquís tradita dicitur, quibus vero noluerint  
auscultare patres Israëlitarum posterorum, ad montem Sinai?  
Sed corribus in Ægyptum aversos vitulum fecisse & obtulisse  
sacrificium *IDOLŌ*, bajulasse tabernaculum Molochi & fidus  
Dei sui Remphan, quas figuræ fecissent, ut eas adorent Nonne  
e diametro huic Idololatriæ opponitur verus cultus per cere-  
monias Jesum adumbrantes? Quid aliud vult v. 44. seqq. Ta-  
bernaculum testimoniæ (NB non Molochi) fuit patribus no-  
stris in deserto, prout edixerat is qui dixerat *Mosi*, ut faceret  
illud SECUNDUM EXEMPLAR QUODVIDERAT (NB.  
in Monte quando Deus cum ipso colloqueretur Exod. 25.9. non  
in Ægypto) Quodetiam exceptum introduxerunt patres nostri  
CUM JESU in ipsa occupatione gentium, quas expulit Deus  
à Conspictu patrum nostrorum usque ad dies Davidis. Nonne  
porro eis qui in fide Deo auscultarunt, h.e. per cultum cere-  
monialem ad fidem in Messiam se excitari passi sunt, assignatur  
falsus, ut hic Davidi v. 46. Qui (David) inventus gratiam in  
conspicu Dei, petiisque ut nanciseretur tabernaculum Dei  
Jacobi. Utique contrario iis, qui Ægyptiorum idololatriam se-  
mel vel iterum sunt secuti, non semper enim hoc factum, ut su-  
perius ostendimus, nec ab omnibus, poena indicatur.

§. 14. Et hoc ipsum nobis iterum ansam dat, argumen-  
tū in contrarium preferendi. Concedam enim plurimam Isra-  
ëlis partem, (nego enim fuisse totum Israëlem) aliquando ido-  
lolatria se commaculasse, non tamen sequitur E. totus Israël se-  
cutus est idolatriam Ægyptiorum, nam expresse dicitur ci-  
tato modo versus 45. quod Patres sc. iterum non omnes, nam  
non omnes eridunt in JESUM, excepirent tabernaculum &  
cum JESU in Canaan intulerint. Nec porro sequitur, si quidam  
ex

ex Israëlitis fuerunt Idololatræ, E. Deus approbat idolatriam vel quod idem, indulxit. Quam non enim graves pœnæ illis minantur, qui hoc fecerint. Deut. XXIX, 25, seqq. & in nostro Cap. vs. 43

Deus namq; si cultum idololatricum approbasset, quem quando à vera religione deviarunt, adoptarunt Israëlitæ ab Ægyptis, non certe pœnam minaretur, non Stephanus redargueret Judeos ad quos loquitur vs. 35. quod ipsi juxta & patres ipsorum non observaverint legem, quam Deus ordinaverat. Qualis est, ut Messiam ( JESUM Nazarenum, quem trucidavereint vs. 52 ) per umbras legis, in fide, tanquam suum redemptorem, siumque salvatorem, unice agnoscerent, & per unius ipsius sacrificium expiatorium salutem quererent; non vero per propriam iustitiam, salutem ambirent, quæ quoque superbia patrum ad Sinai fuerit, vid. versus 51. ( Et hæc radix est, ex qua cum temporis, & jam quoque cicuta & Absinthium, proprie jutitia profluxit Deut. XXIX, 8.) Non immerito inde Stephanus pèrgit, fideliter monens, ne existimarent, cultum quem Moses, etiam præcipiente Deo instituerit ( NB. nec enim hic cultus tanquam opus operatum absque fide Deo placuit, licet instituerit, quid ipsi alter idololatricus placuisse?) Tabernaculo Testimoni, quod juxta exemplar ipsi in monte ostensus, ædificaverat vs. 44. & postmodum Templo, quod Salomon exstruxerat vs. 47. tanquam opus operatum sufficere: Deum enim non requiesce-re in templis manu factis vs. 49. sed in & per Messiam velle coli, quo respexerit David, qui petierit, ut nanciseretur tabernaculum Dei Jacobi vs. 46. h.e. requiem inveniret in communio-ne cum Deo Jacobi i.e. Goële Gen. 48 16. Qui Messias est, & filius Dei, cuius votietiam compos factus sit, quippe qui capropter Gratiam invenerit in conspectu Dei ib. vs 46. Unde & ipsi, si eandem gratiam invenire velint idem expetere debeant. Quod vero non fecerint patres ipsorum, nec ipsi etiamnum

id facere instituant; hinc non mirum, si gratiam in conspectu Dei non inveniant.

§. 15. Quid inde aliud sequitur, quam hoc: falsissimum esse, quod si nixit *Spencerus* & alii post & ante ipsum, Deum politicum simulasse, & cultum ceremonialem Israëlitis induluisse; Contraria enim omnia hic apparere, quis cum ratione negaret? Nihil difficultatis amplius, nihil ridiculum Ægyptiorum in cultu Ceremoniali. O quam non rideat *Spencerus* Theologos, qui quando ipsos premat textus Mosaici difficultas, ad mysteria statim, tanquam communis ignorantiae asylum configuant loca excerpti in dissert. ad locum Hebr. iX, 5 de *Cherubimis gloriose* §. 17. Sed quam non etiam malum suum animum in veritatem prodit? cum veritas tamen, rideat etiam quantum velit, imo rumpantur utilia, sicut adhucdum inconcusa.

*Moses* igitur non est idolatriæ propagator, sed veri cultus divini præco, veterisque foederis, ex Dei intentione ~~ut scimus~~.

§. 16. Objicunt vero: *Moses* tamen dicitur *enutriens omni Ægyptiorum sapientia?* Argumentum profecto, quod plus habet in conclusione, quam in præmissis, ut mox abunde patebit.

§. 17. Audivimus enim supra. §. 10. & 11. umbras V. T. Christum Sponsorem & mediatorem unicum ejusque satisfactionem delineasse; Christum vero ignorat ratio, Ergo *Ægyptiorum sapientia*, Christi mysterium nequaquam exploravit. Sapientia enim vera *Paulo* i. Cor. II, 7 est latens in mysterio h. e. in mysterio gratiæ, in & per Christum fidelibus applicandæ, quam Deus nobis reteexit per spiritum suum v. 10: *ut scimus*, que Deus nobis gratificatus est in Christo v. 12. Hæc vero sapientia non est sapientia seculi, neque principum seculi v. 8 E. nec fuit Ægyptiorum. Præterea ipsum *Sophie* vocabulum, non præcise notat cœlestem illam sapientiam, cum Paulus eodem. *Eloquentiam* exprimat conf. Jac. III, 15.

§. 18.

§. 18. Superest E. quod sapientia Ägyptiorum, constiterit  
in sola contemplatione rerum, aut quod docuerint artes, quas  
usus hujus vitæ requirit, in quibus & alii orientales summois-  
am posuerunt laudem. vid. omnino Braunii Palatini, magni filii  
Theologi, oratio, auro contra cara mihique assimilabilis,  
tum propter insignem materiæ præstantiam tum etiam, quod  
optimus autor, manus sua eandem signaverit missam tum  
Francofurtum ad Cel. Thumeyerum, de sapientia veterum  
Hebreorum. p. 17.

§. 9. Intremus paulo penitus adyta sapientia veterum  
Ägyptiorum, & videbimus verum esse, quod modo ex *Herac-*  
*nio* retuli. Hunc vero in finem ante omnes, *myste* *sacrar* *m*  
nobis confundenti veniunt, non erim a iis sua mysteria crede-  
bant. Primi se sistunt *Hierogrammati*, probe quod monet  
*Caiusinus*, ab *Arpedonaptis*, qui *Mathematici* erant Ägyptio-  
rum, distinguendi iidem, qui ab *Aillyris* *magis* *egiziebus* *erant*,  
ab aliis *egypci* & *egypti*, quod *sacris* & *doctrinis* Ägy-  
ptiorum præfecti erant, vocabantur, & non solum sacrarum  
literarum *notarii*, sed & *sacra* *doctrinae* *interpretes* erant, ipso  
vates censebantur. Hi ex officio tenebantur, *sacram doctrinam*  
ab omni *superstitione* & *curiositate* puram in animo, tanquam  
in cista gestare, atque continere, *Platarcho* *Autore*. Hi porro,  
ut *senatus* *principes*, regi presto semper aderant, *qua opera*,  
*qua consilio*, *qua doctrina* ipsum adjuvantes. Tum ex *ASTRO-*  
*LOGIA* & *sacrorum* *in specione* *futura* *divinando*, tum ex *sa-*  
*crorum* *librorum* *annotatis*, *RES GESTAS* cum utilitate in-  
terpretando vid. *Caiusinus Obs* ad *Horapol. Hieroglyph.* L. i.  
*Hierogl.* 37. Et hi erant primarii, nec tamen adhuc vel  
quicquam videmus, quod supra sapientiam, quam usus hujus  
vitæ requirit ascendat. Non enim *Astrologum* vel *Historicum*  
esse, jam est, esse vere sapientem. Quam curta enim sapientia  
horum fuerit in *sacris*, videri meretur apud *Clement. Alex.*  
quem

quem idem *Canissinus* allegat, L. VI. *Stromat.* p. 293. seq. Edit. Basili. per Thomam Guarinum 1560. ex interpre. *Gentianii Herteri Aurelianii*, quæ in illustris Gymnasii Bibl. juxta cum aliis egregiis Patrum editionibus, asservatur. Locum integrum adscribam, tunc quia insuper omnes sacrificulorum ordines Ægyptiorum, una serie exhibentur, ut uno intuitu sapientiam omnem perlustraremus. *Primus* inquit, procedit is, qui vulgo *Odus Cantor* nominatur, unum aliquid afferens ex Symbolis Musice. Eum dicunt, oportere, DUOS libros tenere, ex libris Mercurii, ex quibus unus quidem continet HYMNOS Deorum, alter vero RATIONES VITÆ REGIÆ.

Post Cantorem vero procedit. *Horoskopus*, qui in manu habet horologium & palnam, symbola & signa ASTROLOGIÆ. Eum libros Mercurii, qui tractant de astrologia quæ quidem sunt QVATVOR numero, oportet semper habere in ore. Ex quibus unus quidem est, de ordine inerrantium quæ videntur astrorum, alijs vero de coitu & illuminatione solis & Lunæ, reliqui de eorum ortu.

Deinceps autem progreditur Hierogrammatrus i.e. Scribas sacrorum, (ille ipse quem supra jam aliquo modo descripimus, & cuius ex his cura sacrorum, erit perficere) pennas habens in capite, & librum in manibus & regulam, in qua est & atramentum adscribendum, & juncus quo scribitur. Hunc oportet scire & ea quæ vocantur HIEROGLYPHICA & MUNDI DESCRIPTIONEM & GEOGRAPHIAM, & ORDINEM SOLIS & LUNÆ, & QUINQUE ERRANTIUM, ÆGYPTIQUE CHOROGRAPHIAM, & NILI DESCRIPTIONEM, & DESCRIPTIONEM INSTRUMENTORUM ORNAMENTORUMQUE SACRORUM, & LOCORUM EIS CONSECRATORUM, MENSURASQUE, & EA, QUÆ SUNT IN SACRIS UTILIA.

Deinde, post eos, qui prius dicti sunt, sequitur, qui dis-

citur.

citur Stolistes i.e. ornator, qui habet & JUSTITIAE cubitum,  
& calicem ad libandum. Is scit omnia, que vocantur PAI-  
DEUTICA i.e. ad disciplinas & institutionem pertinentia,  
& MOSCHOSPHAGISTICA i.e. pertinentia ad ritum ma-  
ctandorum vitulorum. Sunt autem decem, que pertinent ad  
honorem eorum, qui sunt apud eos Deorum, & Aegyptiam con-  
tinent religionem nempe sacrificia, primicia, hymni, preces,  
pompa, dies festi, & que sunt his sanctis.

Possunt enim exit Propheta, qui in lino aperi te gestat hydri-  
am: Quem sequuntur qui emissos panes portant. Is, ut qui sit  
sacrorum prefectus, EDISCIT LIBROS DECIM, qui vo-  
cantur SACERDOTALES: continent autem de legibus, &  
Deis, & universa sacerdotum disciplina. PROPHETA enim  
apud Aegyptios praestet etiam distributione vestigium.

Sunt E. QUADRAGINTA DUO LIBRI MERCURII,  
valde necessarii, ex quibus TRIGINTA quidem & sex, qui  
continent OMNEM AEGYPTIORUM PHILOSOPHIAM,  
ediscuntur i.e. qui ante dicti sunt.

Reliquos autem SEX, PASTOPHORI i.e. qui gestant  
pallium, ut qui pertineant ad MEDICINAM, nempe de con-  
stitutione corporis, & de morbis, & de instrumentis, & medi-  
camentis, & de oculis, & postremo de mulieribus. Haec  
nun ille.

Quis exinde non videt totam Aegyptiorum sapientiam  
mere esse Philosophicam, atque ita ultra terminos usus doctri-  
nae in HAC vita, non progreedi? vel ad summum, circaritus  
externos religiosos verfari. Hac vero nullatenus cœlestis sapi-  
entia dici potest, imo si idololatriam species, ne rationalis  
quidem. Inde & Clemens Alexandr ab initio hujus allegati,  
hoc utitur prologo: Aegyptii quandam suam persequuntur  
Philosophiam. Hoc autem MAXIME ostendunt SACRAE  
LORUM CEREMONIAE.

§. 20. Scripturam si jam consulamus, reperiemus Sapientiam talam vocari sapientiam seculi hujus i. Cor. II. 8 & in hac sapientia putatitia Gentes factas fuisse stultas Jer. X. 8. Rom. I. 22, 43. Ut revera Ægyptii facti sunt. Quod insuper ex profanis etiam scriptoribus probamus. Sic enim ex Græcis Anaxandrides Poëta Comicus Ægyptiorum stultitiam salse ridet:

Haud esse Vobiscum quo commilito,  
Concordibus nec moribus, nec legibus,  
Per maxima intervalla differenibus.  
Bovem colis, Deis ego macio bovem,  
Tum maximum Anguillam Deum putas, ego  
Obsoniorum credidi suavissimum.  
Carnes suillas tu caves, at gaudeo  
His maxime, canem colis, quem verbero,  
Edentem ubi deprehendo forte Obſinuum.

Vid. Natales Comes L. I. c. VII, conf. supra §. 12. Addē etiam, Judæos iplos, in probrum Ægyptiorum, plenis buccis allum devorasse, quod sciebant Ægyptiis pro Deo coli vid. Dissert. mea sub Præsidio Cl. mei Doctoris Hanoviæ 1715. ad Examen pro Ministerio, ite subeundum, habita, de Cherubinis Glorie, in qua contra Spencerum argumentor, §. 16. Hæc vero Omnia, cum vera sapientia consistere non possunt.

§. 21. E. quod erat demonstrandum, Ægyptii preceptis ad cultum V. T. neminem instruere potuerunt, cum neminem placitis sapientiae vere instruere potuerint, utpote que in cultu V. T. maxime conspicienda erat. Et si hoc, E. Mosen etiam non.

§. 22. Restat igitur, quod Mosen suam Sapientiam docuerint. Notandum vero hic ad scopum nostrum, quod nemini Arcana sua revelaverint, nisi futuro aut REGI aut SACERDOTI. Id quod evidentissime ex Clemente Alex. & Plutarcho in de Ifside & Osiride fragmento, prout eos allegat Cel. Lite-

Literator Reithmannus in Antiq. Literariis Aegyptiorum. § 2.  
pag. statim s; probatur, his verbis: Non quibusl. sua committebant  
Mysteria, neque rerum divinarum cognitionem deferebant ad  
profanos, sed ad eos solos, qui erant ad REGNUM perventuri,  
& ex suocensu iis, qui radicati fuerant probatissimi & educa-  
tione & doctrina & genero. Atque hinc factum, ut REGES aut  
ex SACERDOTIBUS ledit, aut SACERDOTUM INSTI-  
TUTIONI fuerint traditi.

S. 23. En. Mōsen CANDIDATUM REGNI AEGY-  
PTIACI Huc respicit Paulus, Hebr. XI. 24. quando eum filium  
filie Pharaonis cognominatum reserit, divitis Aegyptiorum at-  
fluentem, v. 26 licet temporaria hæc fuerit peccati fructio v. 25.  
Et hoc quoque facit scopus Stephani, in nostro capite.

§. 24. Stephanus accusabatur, quod docuerit, Jesum Na-  
zarenū destrukturum locum sanctum (Templum Hierusalem)  
mutatum & mutaturum ritus, quo tradidit Moses. Quare  
Stephanus totam rationem Oeconomiarum precedentium ex-  
ponit, ostendens, nec Abramum alter ductum fuisse, quam  
in FIDE ad Messiam (Jesum Nazarenū) justum illum; Nec  
Mōsen aliud quicquam voluisse, cum omnibus suis, quo pre-  
cipiente Deo instituerit ritibus, quam digito quali monstrare il-  
lum, qui jam venerit Messiam. Ethoc modo tacite innuit Ste-  
phanus se non negare, immo potius firmiter credere, que docue-  
rat, licet ea propter accusatus fuerit. Cum enim V. T. cultus  
Mosaicus, modo sit umbra, corpori venienti, cedar oportet.  
Præterea Messias, fidem, non opera, requirit, E. maxime cultus  
Mosaicus, quem ipſi, avis deterior progenies, Deo perversa ra-  
tione, tanquam opus operatum præstiterant, reformatus erat.  
Hoc vero Iudei adeo ægre ferebant, ut talia docenti valde suc-  
censerint. Adjungit hinc Stephanus, omnes Prophetas, quo-  
quot huc respexerint, male ab ipſis fuisse acceptos, nec adeo mi-  
rum esse, si idem ipſi contingat, quanquam pessime faciant. Cum

D

&amp;

& ipse Mōses, hunc in fine, ut scilicet fide Messiam, licet  
rum adhuc venturum, amplectetur, sequē vera fidei, sui  
populi adjungeret v. 23: omnes Aegypti thesauros reliquerit,  
nec amplius sibi honori duxerit dicti filium filiæ Pharaonis,  
ut loqui amat Paulus Hebr. XI. (quem, scopum illustrandi er-  
go, hue transferimus, juxta scripturarum Analogiam,) quam-  
vis, si apud Pharaonem manere voluisse, maxima valuisse  
Autoritate vs. 22. Ut pote quia omnigena Aegyptiorum sapi-  
entia eruditus fuerit conf. Exod. II. 11. 15. Hebr. XI.

**S. 25.** Ad nostrum scopum sufficit, Mōsen, quando erū-  
diretur omnigena Aegyptiorum sapientia, adhuc fuisse in  
Aegypto, nec cogitabat jam de liberatione populi sui, aut de  
religione avita, & fide in Messiam, aut de mutatione eco-  
nomiae promissionis, utpote de quibus omnibus nihil adhuc  
dum audiverat, multo minus de exitu ex domo Pharaonis:  
Sed ad hoc eum fide excitatum fuisse, & jubente Deo Agy-  
ptum reliquisse, quod cuique textum Capitis VII. obiret  
saltem insipienti, ad oculum patebit. Quid si E. statuamus,  
Mōsen qua eruditum in sapientia Aegyptiorum, adhuc fuisse  
**IDOLOLATRAM**, & quidem usque ad annum 40. Exod.  
2. A&t. 7. utitalis quoque ante vocationem erat **Abraham**, &  
**Paulus**, qui ut ipse testatur Phil. III. 6. **Acerinus erat per-**  
**secutor Ecclesie**. Vocatum vero, idololatriam abominationi  
habuisse & verum Deum secutum fuisse, Aegyptiis omnes su-  
as Gazas, Honores & alia emolumenta, que sciebat **tempo-**  
**riam esse peccati fruitionem**. Hebr. XI. 25. relinquens, licet  
ea omnia lucrari potuisset. Potuisset enim, nam soli apud  
Aegyptios sapientiam suam edocti, soli autem futuri tales, do-  
cebantur, ut vidimus, siebant **Sacerdotes**, qui primas à rege ho-  
noris, & potestatis obtinebant, prætera sceptrum commune  
cum regibus habebant, ut autor est **Causinus** loco sepius ci-  
tat, iungo ex sacerdotibus tandem siebant reges. Et hæc ho-  
norum

norum fastigia *Moses* tamen nauci fecit, maluitque cum populo Dei ignominiam pati, ut salutis particeps ficiat Christo, quam Aegyptiorum, cum peccato, thesauris deliciari, his longe majores ducens divitias, probrum Christi Hebr. XI. 26. Similiter ac Paulus dicit Phil. III. 6. sed quæ mihi erant lucra, in Judaismo nempe, si in eo permanissim, ea duxi propter Christum damnum esse.

§. 26. Longe hæc, ut credo, sunt aliorum commentis sapidiora. Probeamus E exinde potius Veritatem hanc contra Judæos: *Christum esse verum Messiam, & qui in ipsum credit, vere salvus* Exinde: *Judaorum Hierarchiam ex insinuato Dei esse defractam*. Exinde E non aliud Messium expectari debere. Ut pote cum *Moses* ipse nihil aliud egerit, quam quod fidei Messiam hunc sit amplexus, quam quod digitis quasi cum ostenderit in toto a se, precidente Deo, promulgato cultu, denique quam quod in Messia requiem quæ siverit, eamque invenerit. Exinde ad ultimum: *Stephanum E. immerito accusatum & damnatum fuisse, & verum martyrem extitisse*. Faxit Deus ut etiam multi adhuc inconveni, sic subito ex Saulis fiant Pauli ex idololatria veri Dei per Christum cultores imo faxit, ut ex ore etiam parvolorum laus sua contra hostes porro fundetur. Cui soli sapienti, pro præstito ad hunc, in sui & Christi sui, unici nostri salvatoris gloriam, susceptum, laborem conficiendum, potentia auxilio, sit laus honor & gloria in secula seculorum Amen.

### Cel. Werenfelsius ad Prosanum

*Erige nunc cristas, & impietate superbi,  
Ac, præ te stupidos quolibet esse, puta.  
Vis posthac, vis jure pios ridere, profane:  
Ipsæ tibi sanum, sinciput esse proba.*

Tans

Tantum hac vice. Proxime plura de *Ethesismo Poetico*  
Item de odio Persarum maxime & Gr̄ecorum ex cultus religiosis  
externa forma enato ad Corn. Nep. Them. c. VII. & de aliis  
Festinare enim volebam, ut h̄c ipsa qualiscunq; Dissert. Die 7.  
Novemb. qui *Natalis* meus est, quo Deo optimo maximo sunt  
grates, superatis multis, per vitæ juvenilis licet adhuc, spatium  
periculis, multis tamen etiam bonis Jehovæ de gustatis, annum  
et. XXII. egredior; Per quod universum tempus alnum nu-  
men, adeo magnifica et meis partibus stetit, ut non imferito in  
lætitia lacrymas erumpere debeam, & cum Regio Davide Psal.  
XXXIV, 5 - 7. *Deo meo benedicere: Magnificate Jehovam*  
*mecum, & extollamus nomen eius pariter.* QUÆSIVI Jehova-  
vam & EXAUDIVIT me; Ac ex OMNIBVS PAVORIBVS  
MEIS eripiuit me. Qui intuentur in eum, & confidunt; Vultus  
eorum ne erubescant; sed dicant iste pauper invocavit & Jehova  
exaudiavit; ac ab omnibus Angustiis servavit eum Castra me-  
tantur Angeli Jehovæ circumstinentes ejus, & eripit eos. Gustatis  
& videte bonum esse Jehovam: beatus vir ille, qui se recipit ad  
eum. Symbolum meum ut jam fuit ita etiamnum erit Abraba-  
mi illud: דָמִי יְהוָה DOMINUS DEUS MEUS  
FOEDERATUS PROVIDEBIT.

**E**N studii specimen speciosum! Sat spatiolum  
Ingrederis campum, numinis auxilio,  
Intrepidus persta defendens pectore forti  
Doctrinam puram: Nomen ad alstra feres.

*ominabatur*

PAUL CHRISTOPH HUFFEISEN,  
Serv. Anth. Theol. Stud.

Errata

8. s. lin. 18. ceremonialem. p. 8. lin 3. ægyptiis p. 9. l. 27. quotidie. p. 11. l. 8.  
pronuntiate. p. 13. l. insignias.





Te 2511


ULB Halle  
002 379 813


3



TAOK

VDA7





21.  
22.  
23.

DISSERTATIONE  
Theologico-Literaria  
**MOSEN**  
*tritum omni Ægyptiorum sapientia, non cœ.  
Se eorundem in cultu V.T. ceremoniali  
imitatorem, sed*

**GNI ÆGYPTIACI  
CANDIDATUM**

Ad Acto. VII, 22.  
PRÆSIDE  
VIRO CELEBERRIMO  
**FRICO JACOBO van BASHUYSEN,**  
*G. D. ejusque ut & LING. ORIENT. & HISTORIARUM PROF. PUBL.  
JOHANNEÆ INSPECTORE, atque SOCIETATUM, REGIÆ AN-  
NÆ DE PROPAGANDO INTER GENTES EVANGELIO,  
& REGIÆ BEROLINENSIS SCIENTIARUM, SOCIO,  
GMINASII ACADEMICI ANHALTINI RECTORE  
MAGNIFICO*

*Nova via ex Contextu & Antiquitate  
publice ab hora VIII. mat. ad XI. die 5. Novembr. 1718.  
edifferet*

*sum simul Bibliothecæ Gymnasii Illustr. demonstrans  
nus Fridericus Heusling, Hanov-Windecc.  
S. M. Candidatus. Autor.*

*Typis JOH. FRID. ERNESTI, Illustr. Gymnas. Acad. Anhalt. Typogr.*